

No: 33.

1699, 2

4

Quod Deus bene vertat!

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

JURE ECCLESiarum
CIRCA TEMPORALIA,

Consensu & Autoritate

Magnifici JCtorum Lipsiensium
Ordinis

Consequendis Juris utriusque summis honoribus
& privilegiis Doctoralibus

publico examini submittit

ad d. VII. Septembris Anno DC XCIX.


H. L. Q. C.

JOH. GOTTLIEB ALBERTI,
Weida-Variscus.

Sereniss. Duc. Sax. Leucopetr. Procurat.
Camerar. & Advoc. Ordin.

LIPSIAE,
Literis IMMANUELIS TITII.





Juris Ecclesiastici scientiam non solum
scitu dignissimam esse, sed etiam
fructu non carere, notius est, quam
ut in præsenti pluribus inculcetur.
Duæ autem ejus quasi positiones
esse videntur, quarum altera Juris
magis publici speciem, altera magis
privati instar retinet. Quæ enim Principi circa sacra com-
petunt Jura, uti priori generi non immerito annumeran-
tur, ita non incommode ad publicum jus referri poterunt;
quæ vero Ecclesiis ipsis debentur, hactenus Juris privatū
pomoeria non multum excedere videntur. Et hæc quidem
rursus in dupli deprehenduntur differentiā; aut enim
circa sacra & spiritualia, iisque annexa, aut circa temporalia
versantur, quorum illa in Theologorum fines simul in-
currunt, hæc vero intra Jurisprudentiæ limites subsistunt.
Conatum igitur meum non improbatum iri confido, dum
pro Themate Disputationis Inauguralis ultimam Juris hu-
jus particulam attingere sustineo. Amplitudo verò hujus
scientiæ & angustus pagellarum sequentium ambitus non
permittunt, ut & omnia ad materiam hanc spectantia, &
satis exactam eorum pertractionem possim promittere.
Quamvis enim Ecclesiarum Jura circa temporalia secun-
dum triplex Juris objectum latam præbeant differendi ma-
teriam, intra rerum tamen considerationem, reliquis
duobus membris alteri labori sepositis, erit subsistendum.
Ante omnia ergo supremi Numinis auxilio implorato, a L.
B. enixe contendō, ut conatibus hisce favere, nec nimis acer-
ba, quæ displiceant, censura velit perstringere.

§. I.

OMnibus fere, qui materiae cuidam enucleandæ operam impendunt, a vocibus ordiri consuetum est, ut scilicet verbis rite perlustratis, in rebus ipsis deinde eò felicius progredi liceat, via equidem uti maxime naturali, ita & antiquis (*a*) subinde tritâ. Hanc igitur similiter ambulantes, non immerito explicationi tituli aliquantis per insitmus. Et Juris quidem vocabulum, per se quippe notum, & ab aliis (*b*) satis superque discussum, cursum nullatenus morari videtur, dummodo ad vitandam ambiguitatem hæc notetur differentia, quod principaliori significatu, modo Legem ipsam, modo attributum personæ (*c*) denotet, ex quibus posterior acceptio, in Jus perfectum & imperfectum, seu stylo Grotiano (*d*) facultatem & aptitudinem rursus dispersa, præsenti labori primario conveniat, hincque conceptum involvat qualitatis cujusdam moralis, personæ competenteris, ad aliquid juste agendum vel habendum.

(*a*) *I. i. pr. ff. de J. & J. l. i. pr. ff. de reb. Cred. l. i. ff. de furt.* (*b*) *Lauterb. Colleg. ad ff. lib. i. tit. i. §. 20. Althus. dicneolog. l. i. c. 13. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. de i.* (*c*) *Grot. de Jur. B. & P. l. i. c. i. §. 4. & 9. Puffend. de J. N. & G. l. i. c. i. §. 20.* (*d*) *Grot. loc. all. §. 4.*

§. II.

Ecclesia vero ex antiquissimo Græcorum ritu, populum stato die, vel quoties publica postulabat necessitas, per præconem in publicum evocandi, quod ἐνναλέων dicebatur, nomen sortita, nativo significatu quamlibet populi multitudinem quacunque de causa convocatam, innuit (*a*) per figuram deinceps & ipsi loco, ubi ejusmodi multitudinis conventus habebatur (*b*) accommodata, successuque temporis Christianorum stylo jure mutui ad magis speciem & diviniorem quasi usum translata, modo locum, sa-

cris



cris exercendis destinatum, (c) modo beneficiū Ecclesiasticū,
(d) modo Collegium Canonicorum, Episcopo vel Prælato
subjectorum, (e) modo omnem, sed exiguum, ob fidem in
Christum vitæ æternæ destinatum Christianorum numerum
(f) modo denique certum definitum & visibilem homi-
num fidem Christianam invicem profitentium, & Deum
ex præscripto hujus fidei colentium, cœtum (g) indigitat.
Quæ ultima significatio uti nec in Jure infrequens, (h) &
præsenti propria est tractationi, ita missis interim pluribus,
quos Romanam sequentes, sibi singunt, conceptibus, (i) pau-
lo uberiorem meretur discussionem.

(a) Vid. Becm. de orig. Lig. Lab. in voc. Calare. (b) Lucian. in
Dial. Maj. & Merc. (c) c. 4. Dist. 42. & t. t. X. de Eccl. adif.
(d) c. 15. X. de præb. & dignit. it. in rubr. Tit. Ne Prælati vices
suas vel Ecclesiæ vendant. & c. c. 15. X. de Jur. Patron. (e) hinc
alia Ecclesia Cathedralis c. 19. X. de V. S. alia Collegiata, alia
numerata, alia non-numerata &c. (f) prout in Symbolis
Christianorum œcumenicis (g) c. 7. de Consecr. dist. 1. l. i. C.
de summa Trinit. (h) Vid. t. t. C. de SS. Ecclesiis passim, & alios
ibi seq. (i) Vid. Pallavic. Hist. Con. Trid. l. 9. c. 9. n. 4.

§. III.

Etenim, quantumvis collectio Ecclesiastica, origi-
ne divina, (a) scopum humanis rebus ampliorem præfi-
xum habeat, & qua internam constitutionem, vinculo
fidei & charitatis (b) longe fortiori, quam vel nobilissima
civilis societatis species connexa, ab ipso servetur & gu-
bernetur Numine; (c) rimantibus tamen, quæ Jura isti
circa temporalia competant, non intimior ejus structura,
sed externa saltim superficies facietenus quasi intuenda,
tantumque, qua oculos incurrit, mentis aciei erit expo-
nenda. (d) Neque tamen systema statim politicum pecu-
liare conminiscendum, aut Romanensium scita sequen-
da, cui sacra quædam audit respublica, quæ Monarchico

gaudere debeat regimine (*e*) quod protestantium dogma-
ta professi, in Aristocraticum mutatum eunt; (*f*) sed
media in præsentiarum incedendum via; conceptu ita,
formato, ut universus cœtus, qua Jura secularia, unicam re-
ferre intelligatur personam.

(*a*) Matth. XVII. v. 20. (*b*) c. 24. dist. 93. c. 17. caus. 24. qu. 1. (*c*)
Eph. 1. v. 22. (*d*) Vid. Aug. Conf. art. 7. & 8. ibid. Apol. (*e*)
Pallavic. loc. cit. (*f*) Menz. in Exeg. Aug. Conf. art. 16. Reink.
de Reg. S. & E. l. 3. Cl. 1. c. 6. n. 10. & 14.

§. IV.

Per placet enim vetus Optati Milevitani (*a*) dicteri-
um, quod non quidem rem publicam in Ecclesia, sed Eccle-
siam in republica contineri afferit; hincque huic hypothe-
si innixis, notio Collegii abunde faciet satis. Ulti enim
Collegia religionis ergo vel naturali Jure institui possunt
& debent (*b*) ita & positivis Legibus Ethnicorum inter per-
missa censentur; (*c*) Ecclesiæ proin ante cœptas persecuti-
ones pacis externæ commodis, in orbe Romanorum hac
ipsa forsan de causa gavisæ, quod Magistatus religiosa-
isti modi Collegia, ad normam reliquorum, inter legitima
referrent, ideoque quæstiones, quæ ad intimiora eo-
rum pertinerent, exemplo Gallionis (*d*) intactas relin-
querent.

(*a*) l. 3. ad Parm. cit. Svev. apud Arum. Vol. 2. Disp. Acad. 7. de
Jurisd. th. 19. n. 1. in fin. (*b*) Vid. Puff. de J. N. & G. l. 2. c. 4. §.
3. & 4. (*c*) l. 1. §. 1. ff. de Coll. & Corp. (*d*) Act. XVIII. v. 15.

§. V.

Quem vero ad modum quodvis Collegium suis con-
stat membris, & ad communem conservationem suas o-
perationes dirigit, hincque variis immiscetur in Civitate
negotiis; ita & Ecclesia, in Clericos & Laicos (*a*) dispersa,
unicam in qualibet Civitate constituit personam, quæ, licet,
qua talis, terrestria curare non debeat, (*b*) seculo tamen
quasi

na-
sed
ta.
re-
(c)
e)
nk.

ri-
le-
ne-
n-
nt
er-
ti-
ac
a.
ti-
o-
n-
de
S.

n-
o-
te
a,
et,
en
asi

quasi circumsepta, Jurisque communis particeps facta (c) necessario terrenis & temporalibus, qua actiones externas implicatur, præprimis posteaquam accessione opum indies major accessit necessitas, negotiis temporalibus, in quantum sublimior finis pateretur, imum frequentius incumbendi.

(a) Can. 2. C. 12. qu. 1. (b) arg. c. 46. X. de vita & hon. Cler. (c)
I. i. C. de SS. Eccl.

§. VI.

Temporalia ergo ut nihil aliud sunt, quam negotia, quæ in Civitate ab Ecclesiis quidem exseruntur, sed fini earum sublimiori nec per se nec per consequentiam adhærent, ita & ex methodo Juris consueta pro triplici objecto personarum, rerum & actionum possent pertractari, sed cum primum & ultimo alii seponenda sint labori, in præsentia saltim Jura Ecclesiarum circa res temporales perlustrabimus.

§. VII.

Rerum vero divisiones, quoniam per se notæ, ulteriori non indigebunt explicatione; id saltim monuisse sufficiat, quod jura præprimis, circa res corporales quæ competit, delibanda veniant, & prout eas Ecclesiæ vel acquirant, vel conservent, vel rursus amittant, dispiciendum sit.

§. VIII.

Equidem opes Ecclesiarum oriente Christianismo æstuque persecutionum sæviente admodum fuisse exiguae, successu vero temporis piâ Christianorum liberalitate subinde accrevisse, facile ex historiis poterit probari. Simulac enim Constantinus easdem successionum capaces (a) reddidit, simulque cum successoribus variis beneficiis aliis (b) excoluit, concessis etiam sub nomine Episcopalis audentiæ (c) Jurisdictionis quibusdam particulis; magis magisque caput efferre, & nonnullibi invidendis fere di-

vitiis



vitiis efflorescere cœperunt. (d) Principum ergo indulgentiæ acquisitionem bonorum temporalium imprimis in acceptis ut servat, necesse est, nec alios acquirendi fontes, quam quos Jus Civile aperuit, possunt demonstrare.

(a) *I. i. C. de SS. Eccles.* (b) *vid. t. r. C. de S. S. Eccl.* (c) *vid. tot. t. C. de Episc. aud.* (d) *vid. Brusch. Historia Monast. Germ.*

§. IX.

Acquiruntur vero res vel Jure Gentium, vel Jure Civili; utroque modo etiam Ecclesiæ (a) dubio procul gaudent; & quidem quod modos acquirendi ex Jure Gentium attinet, nulla forsan inter Ecclesias & quemlibet privatum erit differentia, nisi quod istis Dominum etiam absque traditione acquiratur; (b) Quoad Juris vero Civilis titulos circa res vel singulatim, vel per universitatem acquirendas, non una occurrit prærogativa.

(a) *arg. I. i. C. de SS. Eccl.* (b) *I. 23. §. i. C. de SS. Eccl. Covarruv. I. 2, var. ref. C. 19. n. 2.*

§. X.

Singularis acquisitio vel per usucaptionem vel per donatioem obvenit. Nec hic Ecclesiæ Juris communis beneficiis destituuntur. Usuapiunt enim res tam mobiles quam immobiles, tam corporales, quam incorporales, sed strictiori in nonnullis, laxiori alibi spatio, quam quod a Jure communi determinatum. In Emphyteusi enim, canone, cui alias triennium indultum (a) intra biennium non soluto, rem Emphyteuticam recipiunt (b) nisi celeri satisfactione mora purgetur (c) decimas vero contra aliam Ecclesiam (d) licet vel titulus adsit, nonnisi quadraginta annis, absque titulo autem, immemoriali demum tempore, (e) sed bonâ fide deficiente (f) nunquam præscribunt.

(a) *I. 2. C. de Jur. Emphyt.* (b) *Auth. qui rem. C. de SS. Eccles. c. fin. X. de Locat.* (c) *Capz. P. 2. Conf. 38. def. II.* (d) *c. 18. X. de*

de dec. c. 6. X. de Prescript. (e) Klock. cons. 40. n. 21. vol. 1.
(f) c. fin. X. de prescr.

§. XI

Donationes autem, uti ab origine unicum fere peculum Ecclesiarum fuere, ita & in contractu Ecclesiastico, contra placita Juris recepta (a) deficiente alio titulo presumuntur, cum pietatis causa fieri dicantur. (b) Præterea & aliis singularibus in relatione ad Ecclesias vestitæ depræhenduntur. Ad omnia enim bona (c) extenduntur, inque favorem piæ causæ semper benignius interpretantur (d) nec ob ingratiitudinem aut supervenientiam liberorum revocantur; (e) quin & Ecclesiæ etiam absenti fieri, (f) nec ante acceptationem retractari possunt; (g) quæ omnia, cum similibus aliis, eo favore sustinentur, quod donatio hujusmodi Ecclesiastica Deo, non hominibus sicut, ideoque ad simplicitatem Juris Gentium, non considerato Civili rigore, exigi debeantur.

(a) l. 25. §. 1. ff. de prob. (b) Menoch. L. 4. præf. 189. n. 4. (c) l. 24. pr. C. de SS. Eccles. (d) arg. c. 6. X. de Donat. (e) Menoch. loc. cit. n. 136. (f) Tiraqu. privil. piæ Caus. priv. 15. (g) Mantic. de tacit & ambig. Conv. lib. 13. tit. 7. n. 18. & seqq.

§. XII

Universalis acquirendi modus moribus nostris in hæreditate & successione consistit. Habet & hic Ecclesia suas partes, nec præcipuis, ut ita loqui liceat, destituitur; ex quibus palmaria, quod ultima voluntas, in qua Ecclesia hæres instituta vel Legato donata, sola Juris Gentium solennitate constet, hincque coram duobus saltim testibus, (a) quibus & fœminæ accenseri queant, (b) rite condatur, & Legatum ex testamento etiam manco & imperfecto debeatur, (c) quodque in piis Causis dispositio in alterius arbitrium conferri (d) & haereditatis institutio ex quorundam sententia, (e) ad exemplum fiduciæ commissorum, (f) etiam nutu fieri possit, executio vero dispositionis ad pias causas, dissentientibus vel ultra sex menses moras nec tentibus Executoribus, qui, si a testatore.

B

non

non constituti, hæredes ordinarii sunt (g) ad Episcopum, in Laicos etiam prorogata jurisdictione, (h) devolvatur.

(a) c. 11. X. de test. (b) Tiraqu. priv. pia Caus. priv. 5. (c) Lud W. de ult. vol. p. 2. c. 3. (d) c. 13. X. de Test. (e) vid. Mant. de Conj. ult. vol. I. 4. tit. 4. n. 6. (f) L. 22. pr. ff de Leg. 3. L. 22. C. de Test. Menoch. l. 4. præf. 125. n. 3. (h) c. 17. X. de Test. Nov. 131. c. 12.

§. XIII.

Perpensis his quasi spicilegiis, nemini forsitan erit dubium, quin Ecclesiæ res temporales libere possint acquirere; Quod quidem licet qua res mobiles nullo fere careat dubio, quoad immobiles tamen non paucis in locis valde est restrictum. Cum enim Ecclesiæ liberalitate piorum subinde latifundiis augerentur, prædia audem in eas semel translata non solum oneribus civilibus eximerentur, (a) sed & nunquam in statum pristinum reversura essent, cum collegia Ecclesiastica non morirentur, sed per subrogationem personarum eundem semper locum obtinerent; (b) Principes plerique reipublicæ interesse putarunt, si istis rerum immobilium acquisitionem & possessionem interdicerent; Interdicta ergo hujusmodi in variis provinciis passim prodiere, (c) quæ Ecclesiis prædia resque immobiles partim in futurum denegant, partim abdicationem quæsitorum aut translationem in personam, quæ servititia præstare possit, (d) severe injunxit.

(a) c. 7. X. de Immunit. Eccl. l. 5. C. de SS. Eccles. (b) l. 7. §. 2. ff. quod cuiusq; Univers. nomi. c. quoniam Abbas. de off. & por. deleg. (c) Bod. l. 5. de rep. c. 2. Molin. ad Consuet. Paris. Tit. 1. §. II. Gl. 2. n. 68. (d) Christin. vol. 1. Dec. 201.

§. XIV.

Scilicet regulariter in Ecclesiam feuda conferri non possunt (a) non quidem, ut volunt nonnulli, quod ista privilegiata & potentior sit, in potentiores vero fieri donatio non possit, sed, ut in textu Juris feudalis allegato additur, quia feudum nunquam reversurum est ad dominum, cum Ecclesia non desinat esse hæres; (b) quod & eò ampliatur, licet va-

fal-

fallus expressim pro anima causæ donaret piæ. (c) Inter est enim Domini Directi, ne præjudicetur Juri Laudemiorum, Releviorum aut alio simili. Quæ etiam ratio in alijs immobilibus, quæ oneribus publicis subtrahuntur, obtinet; Obstatulum autem omnino ineluctabile non objicit; Princeps enim, ex propriis allodialibus si feudum Ecclesiæ tribuit, eique servitia remittit, vel per substitutum ut serviatur, concedit, hoc ipso simul licentiam eidem impertitur, bona acquisita per manum, quam vocant, mortuam, retinendi (d).

(a) i. feud. 13. (b) add. C. sigratiose de rescript. in 6to. (c) §. Donare 2. feud. 9. (d) Petr. Greg. Tholos. in Synt. Jur. Univ. l. 6.c. s.n. 7. & l. 15. c. 37. n. 4. & seqq.

§. XV.

Cum enim nimis durum videretur, quod Ecclesiæ in perpetuum a possessione immobilium arcerentur, Remedium quale quale per Jus, quod vocant, amortisationis quæsitum, vi cuius jussu Principis & consensu eorum, quorum interest, (a) feuda non minus quam alia immobilia, pretii parte detracta, (quam manus mortua, si ipsa acquirat, sin vero hæc ex donatione vel testamento capiat, hæres vel donator solvit, (b) Ecclesiis in perpetuum possidenda conceduntur, ut ista emancipio ablegare & in personam seu manum Laicam capacem transferre non cogantur. (c) Quo ipso & publicæ rei detrimentum avertitur, & Ecclesiis earumque acquisitionibus sat commode consultur.

(a) Mol. loc. all. n. 97. (b) arg. L. 86. pr. ff. de Leg. 1. & l. penult. §. ult. de Leg. 3. (c) Tholos. loc. all. t 15. c. 38. n. 6.

§. XVI.

Sed, ne diutius circa acquisitionem rerum Ecclesiasticarum hæreamus, & conservationi earum non minus prospectum, & quidem tam Legibus beneficiisque Juris, quam exacta administrationis regula constituta. Prioribus haud dubie accensendum, quod Ecclesiæ in acquirendo majoribus quidem æquiparentur, in amittendo vero perpetuo

jure mitiorennitatis & aeterno restitutio*n*is beneficio gaudent, (a) quodque Contractus, quo aliquid acquirunt, si ultra quam accipiunt, onerentur, ipso jure invalide*t*ur, (b) quod porro lite de re emta mota, Judiciali denunciatione non indigeant, & debitor earum sine interpellatione hominis & diei in m*o*ra constituatur, (c) quod denique ad faciendum iisdem obligatus, per pr*æ*stationem ejus, quod interest, uti communijur*e* provisum, (d) non liberetur. (e)

(a) arg. 32. pr. C. de Episc. & Cler. c. 1. X. de integr. rest. (b) Auth. sicut alienatio C. de SS. Eccl. (c) Covarruv. l. 3. Var. resol. c. 17. n. 4. (d) l. 72. in fin. ff. de Verb. Oblig. (e) arg. l. 122. §. 2. in fin. ff. ead.

SIX XVII.

Non parum etiam huc facit, quod res Ecclesiastica nec ultra triennium locari, (a) nec in perpetuam Emphytensin, nisi in fundis sterilibus, concedi, emphyteusis autem ipsa in genere tantum ad descendentes transire, (b) & hypothecæ vinculo subjici, (c) mutuans etiam Ecclesiæ, versionera in rem probare, (d) hæc vero beneficio exceptionis non numeratae pecuniæ in perpetuum frui, (e) resque ejus immobilis, si distra*c*ti*o* eveniat necessaria, saltim in antichresin dari, & emolumen*m*entum inde proveniens prius in sortem quam usuras, contra modum consuetum, (f) computari debeat.

(a) Boer. dec. 224. n. 2. (b) Nov. 7. c. 3. pr. (c) d. Nov. 7. c. 3. §. 2. (d) Covarr. l. 2. var. resol. c. 17 n. 3. (e) Mantic. de tac. & amb. co- no. l. 18. tit. 6. n. 3. (f) l. 1. C. de sol.

S. XVIII.

Pertinet tandem & huc immunitas perpetua ab omnibus oneribus Civilibus, (a) in ipsa*e* etiam personas Ecclesiasticas quandoque tr*an*s*i*ens, & non solum Jure Divino (b) sed & Civili (c) ac Canonico (d) statuminata. Similiter Jus facit*x* hypothecæ in bonis post contractum quæsitis, anteriorem expressam antecedens; Decimarum exactio a singulati*r* successore & novo prædii possessore, (e) & si quæ alia plura passim observari possunt beneficia.

(a) arg.



(a) arg. L. sanctimus C. de SS. Eccl. (b) Lev. c. 42. v. 22. (c) l. 5. G.
de SS. Eccl. (d) c. 4. § 7. X. de immunit. Eccles. (e) Carpz. l. 1.
Jurispr. Eccl. def. 128.

§. XIX.

At omnium optime cura servandis rebus Ecclesiasticis impensa, ex providentia administrationis elucescit. Nec enim historiam Germanicam evolenti obscurum erit, quod seculis antiquioribus Patroni seu Advocati passim fuerint constituti, qui Ecclesias suæ fidei commissas contra vim maiorem & violentiam aliorum protegerent, (a) & simul inspectionem in redditibus secularibus adjunctam haberent. Quemadmodum vero hæc potestas modo amplioribus, modo strictoribus circumscripta limitibus, jurisdictionem, advocacyatio officio regulariter non adhærentem, (b) vel omnimodam, vel aliqualem annexam habuit, ob quam Advocatis Præfectorum Imperii nomen, & locis ipsis præfecturarum titulus (c) adhæsit, ita & ab illustribus Imperii familiis affectata, hodienum passim vestigia quædam commonstrat. (d)

(a) Mod. Pift. conf. 43. n. 30. (b) Gail. 2. obs. 54. n. 2. (c) vid. Daniel Heiderus von Reichs- Voigten und Reichs- Voigtheyen sc.
(d) Knich. de subl. terr. Jur. n. 356. & seqq.

§. XX.

Utut enim ex constitutione Gregorii X. (a) Laicis in Ecclesiasticos advocatia sine speciali Pontificis consensu interdicta, Ecclesiae tamen nonnullæ opum tuendarum studio, Advocatos olim vel ære sibi redemerunt, (b) cum præsori tempore beneficij loco habitum fuerit, in Clientelam potentioris reeipi; successu vero temporis, Principes advocatias in Ecclesias sub eorum districtu sitas, suo jure sibi vindicare coeperunt, (c) & vel Imperatoriis concessionibus firmamenta quæsiverunt. (d)

(a) in c. 2. X. de reb. Eccl. non alien. (b) Rosenth. de feud. c. 4. concl. 14. n. 2. (c) Panorm. in Rubr. de Jur. Patron. n. 3. in fin. l super

§. XXI.

Vestigia priscioris moris, quo receptio Clientelæ in beneficiū imputatur, in Imperatoriis deprehendere licet capitulationibus. Imperator enim, qui Advocatus Christianæ Ecclesiæ adhuc dici amat, (a) inter reliqua (b) juramenti vinculo adstringitur, quod advocationem Ecclesiæ suscipere velit; quæ quidem ratione Protestantium, utut sub initium purioris doctrinæ variis interpretamentis fuerit subjecta, (c) per Transactionem tamen Passaviensem, & hanc subsecutam Pacem Religionis (d) iis limitibus est circumscripta, ut nostro seculo, Pace Westphalica accedente, (e) sacra religionis anchora, nostræ reipublicæ navem, toties fluctuatam, in tranquillum stiterit portum.

(a) Weichbild. art. 8. Recess. Imp. Colon. de an. 1512. §. und nachdem wir als rechter Voigt und Schirmherr der Christl. Kirchen rc. (b) Capitul. Cœf. I. 2. (c) Hortl. de caus. bell. Germ. l. 2. c. 3. (d) Vid. Pac. Rel. §. Damit auch obberührte rc. (e) Vid. Instr. Pac. Osnabr. art. 5.

§. XXII.

Quemadmodum autem his ipsis Legibus, principes & status Imperii, Protestantium castra secuti, inter alia jura advocatiæ, ab Episcopis passim invasa, resumere; ita & hoc ipso summam administrationem & inspectionem bonorum Ecclesiasticorum sibi vindicatum iverunt. (a) Bona autem ipsa vel Ministris Ecclesiæ in alimenta concessa, ab iisdem Jure usus fructus possidentur, adque eum modum administrantur, & utentis sumtibus conservantur, (b) paroecianis tamen, ut prædiis colendis, mercede ex arbitrio Consistorii constituenda, operam præ aliis locent, obligatis; (c) vel a certis Curatoribus, (d) quibus plerumq; & ærarii Ecclesiastici administratio, & bonorum Ministris Ecclesiæ in usus concessorum inspectio simul commissa, curantur. Qui, usu in plurisque locis sic exigente, a Superintendentे, vicem Principes Episcopi gerente, & Patronis cuiuslibet Ecclesiæ constituti, non

æ in
capi-
e Ec-
ncu-
relit;
ario-
per
n Pa-
ostro
an-
tran-
nach-
Kir-
l. 2.
Vid.

es &
ad-
hoc
rum
tem
dem
ini-
sta-
torii
cer-
ad-
esso-
ple-
ipes
tuti,
non

non solū quotannis rationes reddere, (e) sed & pecuniā Ecclesiasticam ita elocare tenentur, ut nec otiosa (f) nec periculo Ecclesiæ absq; sufficente fidei jussione vel hypotheca expressa debitori tradatur, (g) ecclesiis interim in bonis eorū tacita hypotheca munitis; (h) Præterea ad modum rei ex pecunia pupilli a tute emtæ, (i) res ab administratore ex pecunia Ecclesiæ emta, non administratori, sed Ecclesiæ acquiritur (k).

(a) Carpz. l. 1. Jurispr. Eccl. def. 6. (b) l. 7. C. de Uſufr. c. 1. X. de Eccl. edif. Art. Gen. XXXII. (c) Art. Gen. XXVII. (d) Reink. de Reg. sec. Eccl. l. 3. cl. 1. c. 3. n. 16. (e) Reform. Pot. Imp. de anno 1548. sub tit. von Pupillen und minderjährigen rc. Art. Gen. 35. pr. Decret. synod. de an. 1624. (f) Clem. in plenisq; de El. & El. pot. (g) Art. Gen. 35. § Sie sollen auch rc. Decr. syn. de an. 1624. (h) Ord. Proc. El. Sax. tit. 45. (i) L. 2. C. quando ex fact. Tut. (k) c. fixam. Caus. 12. qv. 4.

§. XXIII.

Ettantum etiam de administratione & conservatione rerum Ecclesiasticarum; sequitur amissio earum, quæ non minus variis munitur privilegiis. Nec enim vel oppigneratio vel alienatio earum, regulariter administratoribus potius quam ipsis Ecclesiis prohibita, (a) obq; necessitatis, utilitatis insignis, pietatis & incommoditatis causas permissa, (b) quoq; modo fiat, prius valida est, quam summi principis ejusque Consistorii autoritas accedat, (c) causaq; probabilis, necessitate vel utilitate evidenti subnixa, (d) concurrat, decretumq; ideo cognitione prævia interponatur. (e) Quo sine alienatio ipso Jure nulla, nec res extra Dominiū Ecclesiæ fuisse dicitur (f) & quovis tempore cū fructibus repetitur. (g) Quibus omnibus ex Jure Pontificio circa consensum Capituli, & aliæ adhuc solennitates accedunt, quæ non minus quam reliquæ in alienando ut serventur, Jus & consuetudo nonnunquam postulant (h).

(a) arg. c. 19. & 20. Caus. 12. qv. 2. (b) Brunn. ad auth. Hoc Jus porrectum C. de SS. Eccl. n. 13. (c) C. si qua Caus. 1. qv. 2. Nov. 120. Art. Gen. 28. (d) c. 1. X. de reb. Eccl. non alien. c. ult. eod. iu 6to Art. Gen. 28. (e) c. sine exceptione. Caus. 12. qv. 2. Clem. 2. de reb. Eccl. non al. c. 1. X. eod. (f) c. 36. & seqq. cau. 12. qv. 2. (g) c. 2. X. de reb.

102

reb. Eccl. non alien. (b) Vid. Stryk. de Caut. Contr. Sect. I. c. 3. §.
7. & seqq.

§. XXIV.

Solennitatibus ergo, quas Jura & mores exigunt, servatis, non dubium est, quin bona Ecclesiarum possint alienari. Quamvis enim diuinis usibus dicata, non facile aliorum debeat transferri, sed potius ad alios pios usus destinari; (a) alia tamen ratio, publica necessitate urgente, habenda & vel absq; solennitatibus alienatio suadenda. Animæ enim hominum quibuscumq; rebus præferendæ, (b) & publica salus, a qua privata Ecclesiæ immunitas dependet, ante omnia respicienda. Cui innitentes hypothesi Proceres Imperii nostri ad sistendos bellorum tumultus per pacem Osnabrugensem (c) integras ditiones Ecclesiasticas in secularem reduxerunt statum, & quatenus bona Ecclesiastica, non attenta contradictione diversa sentientium, rei, cui omnia serviunt, publicæ, impendi debeat, illustri monstrarunt documento.

(a) 1. Legatum Civitatis ff. de Usufr. Leg. Pac. relig. de anno 1555. §.
Dieweil aber etliche Stände rc. & §. Als auch den Ständen rc.
Wesemb. conf. 37. n. 6. & seqq. (b) c. 70. & 71. caus. 12. qu. 2. Covarr.
l. 2. var. ref. c. 16. n. 7. & seqq. (c) Vid. Instr. Pacis Osn. art.

§. XXV.

Sed & præter publicam Civitatis vel privatam Ecclesiæ necessitatem, bona nonnunquam amittuntur Ecclesiastica. Licet enim alienata nonnisi a morte alienatoris præscribantur, (a) & præscriptio ipsa contra Ecclesiam qua immobilia, quadraginta decimū annis, (b) etiam in foro Saxonico (c) absolvatur, tandem tamen & ea, quæ alias præscribi non possunt, immemoriali tolluntur præscriptione, (d) ipso Ecclesia agere valeat (e) nec legitimo defensore destituatur, (f) nec possessio præscribentis interrupta, aut iste possessionis incapax sit. Quemadmodum & in universum tempora præscriptionis Jure Canonum non abolita, contra Ecclesiam non minus quam contra privatū currunt, hincq; illa jus agendi poenaliter actione prætoria, annali, (g) ex dolo, biennali (h) & alias actiones, quibus brevior præscriptio tributa, eodem tempore (i) amittit & FINIT.

(a) c. 10. Caus. 16. qu. 3. Christin. Vol. V. Dec. 173. n. 44. (b) c. 4. & 8.
X. de præscript. Auth. quas actiones C. de S. S. Eccl. (c) teste Carpz.
p. 2. Const. 5. def. 1. & 7. (d) Menoch. l. 3. pref. 131. (e) l. 2. C. de ann.
Except. (f) arg. a. ult. X. Ne sede vacante & c. (g) l. in honorariis ff. de
O. & A. (h) l. fin. C. de dol. (i) Richt. ad auth. quas actiones C. de SS.
Eccl. n. 11.

S. D. G.


ULB Halle
006 301 126

3



KD 17







Jf. 33.
1699, 2
4

Quod Deus bene vertat!

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

JURE ECCLESiarum CIRCA TEMPORALIA.

Confensu & Autoritate

Magnifici JCtorum Lipsiensium Ordinis

pro
Consequendis Juris utriusque summis honoribus
& privilegiis Doctoralibus

publico examini submittit

ad d. VII. Septembr. Anno DC XCIX.

H. L. Q. C.

JOH. GOTTLIEB ALBERTI, Weida-Variucus.

Sereniss. Duc. Sax. Leucopetr. Procurat.
Camerar. & Advoc. Ordin.

LIPSIAE,
Literis IMMANUELIS TITII.

